

1° Aequalitas in hoc contractu postulat ut certum pretium, quod a singulis datur, proportionem habeat cum praemio proposito et spe illud obtinendi: quae spes cum valde exigua esse soleat, facile proportio haec violatur.

2° Plures AA. (ut Gury, I. n. 943; Lehm. I. n. 1137) opinantur justitiam requirere ut, nisi in opus pium fructus loteriae abhibendus sit, lucrum moraliter excedere nequeat id quod loteriam instituens percipisset, si pecuniam vel merces suas in aliud honestum negotium impendisset. Alii tamen, ut Ball. P. (n. 614), probabilius censent hanc regulam esse aequo severiorem: eo quod justitia in contractu aleatorio est in aequalitate periculi inter ludentes et in aequalitate spei, non in aequalitate lucri ex ludo et ex negotiatione. Sic et in ludo, is cui favet sors plus lucratur quam eodem tempore cum eadem summa negotiando lucrari potuisset. Attamen, ubi multum crescit lucrum loteriae, fere necessario laedetur aequalitas omnino requisita inter spem et pretium. Id non obtinet quando in opus pium fructus loteriae adhibendus est, cum participantes tunc sponte consentiant ut plus dent quam accipiant.

Contractus ille natura sua ad multos abusus ducit, ut experientia constat. Ideo in plerisque regionibus generatim lege civili prohibetur. Ita in Belgio loteriam publice instituere non licet nisi cum facultate municipii, auctoritatis provincialis, vel gubernii, prout schedularum emissio fit et ephemeribus nuntiatur tantum in civitate, vel in provincia vel in toto regno. (Lex Belgica 31 Dec. 1851)

§ 5. DE LUDIS SEU SPECULATIONIBUS BURSARUM.

664. Ludi Bursae proprie vocantur operationes quae, praesertim in Bursa commercii, non numerata, sed credita pecunia peraguntur.

Versari possunt tum circa *valores* qui creditum repraesentant, ex. gr. actiones et obligationes Status, civitatis, societatum, etc., tum circa *mercimonia*, ex. gr. cafaeum, frumentum, etc. Distinguuntur operationes *ad terminum* (à terme) et operationes *ad praemium* (à prime).

In operationibus ad terminum emuntur valores vendunturve merces ita ut pretium solvendum sit tantum post certum tempus, nempe die qui *liquidationis* dicitur et pro variis locis varius est, puta primus vel decimus quintus mensis; pretium autem, quod perpetuis mutationibus obnoxium est, solvendum erit quale, die liquidationis, in Bursa vigeat. Admiscetur ergo emptioni venditioni *speculatio* de mutatione quae usque ad illum diem contingere potest. Immo plerumque animus contrahentium minime est ut, die statuto, tradantur valores vel merces, sed tantum ut ab eo cui mutatio pretii adversetur, *differentia* alteri solvatur.

Ita, si pretium auctum est, venditor tradere debet excessum prae illo pretio quod die venditionis vigeat; sin autem minutum est, emptor solvere debet discrimen inter pretium praesens et pretium de quo convenit. Ex. gr. si quis vendidit obligationes valentes 100, quae die liquidationis valeant 102, debebit pro singulis solvere 2 fr., dum jus habebit ad aequalem compensationem si eadem die jam non valent nisi 98.

In operationibus ad praemium, emptor sibi reservat jus rescindendi contractus die statuto, puta pridie liquidationis: quod si faciat, cedere debet venditori certam summam quae praemii nomine vocatur; sin autem declarat velle se ut contractus maneat, emptio venditio quae prius facta erat condicionate, fit absoluta. Quandoque etiam venditori simile jus rescindendi contractus, sub condicione ut praemium emptori relinquat, conceditur.

665. **ASSERTA. I.** Speculationes Bursae, si in se et singillatim inspiciuntur, justitiae non adversantur.

Etenim operationes ad terminum, etiamsi sine ullo animo valores mercesve emendi et vendendi fiunt, nihil aliud sunt nisi sponso de pretii augmento vel decremento (jouer à la hausse, à la baisse): quare licent, sicut sponsiones, modo hujus contractus condiciones in iis serventur. Operationes ad praemium sunt venditiones ad creditum cum speciali jure, quod emptori relinquatur, rescindendi contractus: modo praemium non excedat id quod rationabiliter pro hoc jure exigere possit, nihil injusti in iis apparet.

Neque per se ullam injustitiam continere videntur contractus qui, tamquam accessorii, saepe adduntur operationibus ad terminum, dum eadem ad ulteriorem diem prorogantur, soluto certo pretio pro pecunia virtualiter mutuata (report) vel pro valorum locatione (déport). (Ball. P. n. 624) Horum contractuum naturam fusius explicatam videsis apud Gury, Casus Consc. I. de Emptione, cas. 17, et Antoine, Cours d'économie sociale, p. 367 seqq.

II. Consuetudo vacandi ludis Bursae, propter lucri capiendi facilitatem, natura sua in multas injustitias impellit. Praecipuae sunt:

1° Sparguntur falsi rumores ex. gr. de statu prospero vel calamitoso alicujus regni, societatis, etc., vel alii doli adhibentur quibus pretium valorum vel mercium crescat vel minuat.

2° Tanta summa his plane aleatoriis negotiis exponitur ut periculum oriatur amittendi ea quae requiruntur ad satisfaciendum creditoribus et ad familiam alendam.

3° Ineuntur hujusmodi speculationes dum probabiliter praevideatur bona propria non sufficere ut *differentia* (si fortuna adversa fuerit) sol-

vatur. Hoc enim aperte adversatur aequalitati, nisi alter contrahens labilem statum compartis noverit.

4^o Coemuntur magno numero valores et hoc quasi monopolio efficitur ut pretium artificiose ultra vel citra realem valorem augeatur vel minuatur : undo non raro aliorum multorum ruina sequitur. (Lehm. I. n. 1136)

Propter haec et alia mala, quae in universam societatem ex hac ludorum Bursae consuetudine dimanant, merito a multis postulatur ut civili lege hujusmodi contractus mere aleatorii prohibeantur.

SECTIO III. — DE SUCCESSIONE HEREDITARIA.

666. Quaecumque ad successionem defuncti pertinent et a Theologo Morali cognoscenda sunt, hic simul proponuntur, quo facilius totum hoc argumentum mentis oculis pateat. Theoretice loquendo, neque successio ab intestato, neque testamentum inter contractus recensenda sunt : testamentum tamen prope ad donationem gratuitam accedit. De utraque hac succedendi ratione singillatim egemus : imprimis de successione ab intestato, quae in Jure moribusque nostris primatum obtinet ; deinde de successione ex testamento, quae in Jure Romano quasi regula generalis exhibetur, ideoque etiam ab antiquis DD. praecipue explicari solet.

CAPUT I.

DE SUCCESSIONE AB INTESTATO.

§ I. PRINCIPIA GENERALIA.

667. I. Ex ipso jure naturae videtur competere jus descendantibus et proxime consanguineis defuncti ut in ejus bona succedant, saltem nisi legitime ab eo exclusi fuerint.

Etenim familiae singulae, e quibus societas politica conflatur, ex ipsa divinae Providentiae dispositione, serie generationum indefinita conservantur et propagantur. Hanc autem conservationem et propagationem, tamquam elementum essentiale, ingrediuntur bona familiae propria :

nulla enim stabilitas in morali et physica ejusdem evolutione haberetur, si bona ab una generatione ad alteram, saltem quoad maximam partem, non transmitterentur, sed fierent primi occupantis vel a Statu arriperentur. (1)

Hoc tamen asserto minime negatur ampla facultas, quae legi civili competit, strictius determinandi qua ratione haec bona ad consanguineos devolvantur, statuendi gradum consanguinitatis ultra quem bona non jam familiae, quae quasi evanuit, sed Statui tribuantur, etc., sicut in omnibus Juribus usu venit.

II. In Jure nostro consanguinei succedunt defuncto usque ad 12^{um} gradum, ita tamen ut gradus propinquior excludat remotiorem, nisi cum lex remotiores admittit tamquam proximiorum repraesentantes, ex. gr. nepotes (neveux) pro fratre vel sorore defuncta.

Gradus isti e numero generationum deducuntur. In linea directa (perinde atque in Jure Canonico) tot sunt gradus quot sunt generationes inter personas : sic filius in primo, nepos (petit-fils) in secundo gradu versantur relate ad patrem et avum. In linea vero collateralali, tot sunt gradus quot sunt generationes inter unum consanguineum et parentem communem, et inter hunc alterumque consanguineum : sic duo fratres in 2^o, avunculus et nepos in 3^o, consobrini germani in 4^o gradu versantur (C. C. aa. 735-738) Haec computatio civilis pro linea collateralali multum differt a computatione canonica, de qua dicitur Vol. II. n. 477. Quanquam autem ratione inter varios heredes bona defuncti sint distribuenda, videsis C. C. aa. 731-766. Res enim est satis intricata, nec directe ad nos spectat.

Filii naturales nullum jus ad hereditatem parentum habent, nisi fuerint legaliter recogniti. Quod si factum fuerit, videndum utrum adsint patris vel matris legitimi descendentes an non. Si adsunt, illegitimus jus habet ad tertiam partem hereditariae portionis quae ipsi obtigisset si fuisset legitimus ; si non adsunt, sed manent ascendentes vel fratres aut sorores patris vel matris, jus habet ad dimidiam partem ejusdem portionis ; quodsi neque tales consanguinei adsunt, jus habet ad dodrantem ejusdem portionis. Immo tota hereditas ad eum devolvitur, ubi pater vel mater nullum consanguineum intra 12^{um} gradum relinquit. (C. C. aa. 756-758) Adulterinis autem et incestuosis (juxta sensum legis civilis) conceditur tantum jus ad alimenta, seu ad ea quae victui et educationi necessaria sunt. (aa. 762-764)

Si defunctus nec consanguineos intra 12^{um} gradum, nec liberos natu-

(1) Cfr. Philosophos morales de hoc argumento fusius scribentes, puta inter nuperrimos Theod. Meyer, S. J. *La question ouvrière et les principes fondamentaux de la Sociologie chrétienne* (1893), c. 8.

rales relinquit, bona ejus devolvuntur ad conjugem superstitem, dummodo divortium non instituerit. (a. 767)

Tandem, deficiente et conjugē, bona devolvuntur ad Statum. (a. 768) Attamen hujusmodi bona potius ut derelicta (a. 539) quam jure hereditatis a Statu occupantur. Quare qui ea praeoccuparet, modo certus foret nullum exstare heredem defuncti, non laederet justitiam commutativam, sed solam oboedientiam justae legi debitam. (Marres, l. 1. n. 281; Carrière, de Just. t. 2. n. 570)

668. III. In Jure nostro quidam incapaces, quidam autem indigni successione declarantur.

Incapaces sunt quicumque non exstant eo tempore quo successio aperitur, nempe qui nondum concepti sunt vel qui partu immaturo eduntur ita ut vivere nequeant. (C. C. a. 725)

Indignus vero declaratur qui damnatus est eo quod mortem defuncto intulit vel inferre conatus est, vel qui contra eundem capitalem accusationem tulit, quae calumniosa est judicata, etc. (C. C. aa. 727, 1046) Attamen haec indignitas a judice est declaranda: quare licet hereditatem servare, donec judex ad eam abdicandam obliget.

§ 2. DE ACCEPTATIONE VEL REPUDIATIONE SUCCESSIONIS.

669. I. Nemo tenetur ad successionem acceptandam. (C. C. a. 775) Quodsi acceptare vult, duplici ratione id facere potest: *pure et simpliciter* vel *sub beneficio inventarii*. (a. 774)

Praecipuus effectus hujus posterioris acceptationis est quod heres non obligatur ad solvenda defuncti debita, nisi quatenus id ferunt hereditatis vires. (a. 802)

Probabilius, ad forum conscientiae quod attinet, heres qui simpliciter hereditatem acceptavit, non tenetur ad debita ultra vires hereditatis solvenda, etiamsi a judice ad hoc cogeretur. Ratio est, quod lex falso supponit in acceptante hunc animum se obligandi ad talem solutionem; deinde saepe sine magnis incommodis, dedecore familiae et quadam injuria defuncti, recurri nequit ad cautionem lege praestitutam, i. e. ad acceptationem sub beneficio inventarii, quando nim. non constat viribus hereditatis praevalere debita. Creditores tamen, ob contrariam multorum AA. sententiam et periculum fraudis, solutionem petere et solum retinere possunt: siquidem juri suo certo propter heredum jus probabile renuntiare non debent. (Marres, l. n. 371 ceqq.)

II. Extra casum quo vires debitis superantur, tenetur heres et quicumque titulo universalis hereditatem adit, ad omnia debita et onera

realia defuncti sustinenda; verum qui titulo particulari legatum obtinet, nullam partem in debitis oneribusque habet, praeter hypothecam quae rei immobili legatae adhaereat. (a. 870 seqq.)

Singuli autem heredes vel legatarii titulo universalis ad solvenda debita contribuere debent pro rata partis quae singulis ex hereditate obtigit. Qua ratione haec contributio practice efficienda sit, explicat C. C. a. 872 seqq.

§ 3. DE COLLATIONE DONATIONUM ET LEGATORUM.

670. Ex dispositione Juris nostri, quicumque fit heres ab intestato referre debet in massam, quae inter plures coheredes dividatur, quidquid a defuncto per donationes inter vivos directe vel indirecte accepit; similiter legata peculiaria sibi facta in eadem massa relinquere debet. Attamen ab hac *collatione* facienda liber declaratur, si constat defunctum voluisse ut hanc immunitatem haberet, dummodo legitima pars heredibus necessariis servanda non laedatur. (C. C. a. 843 seqq.) Nempe lex civilis praesumit defunctum voluisse ut heredes aequalem partem in hereditate accipiant, nisi de contraria ejus voluntate constet.

Non omnia tamen dona huic obligationi subjacent. Ita excipit ipse C. C. (a. 852) expensas factas pro alimentis, educatione vel tirocinio (apprentissage) heredis; jubet vero referri ea quae data sunt ut heres commercium incipiat vel novam familiam fundet (établissement), vel etiam ad ejus debita solvenda. (a. 851) A collatione iterum excipiunt plures Jurisperiti quae soluta sunt pro debitis mere naturalibus, ex. gr. per ludum contractis. (Laurent, Cours él. de Droit civ. t. II. n. 178) Pecunia data ad filium a militia redimendum videtur per se subjacere collationi, nisi summa sit valde modica respectu hereditatis, vel redemptio illa cesserit potius in commune familiae quam in unius filii bonum. (Waffelaert, t. I. n. 220)

Fructus autem et redditus rerum donatarum non sunt referendi nisi a die qua aperta est successio. (a. 856) Secus enim donationes nullius forent effectus.

Omissis pluribus aliis statutis, quae a. C. C. (II. cit.) exhibentur et potius ad civile forum spectant, pauca quaedam notabimus de *collationis obligatione* in foro conscientiae.

1º Ante sententiam judicis, non datur obligatio referendi quidquid donator voluit absolute donare, remissa explicite vel implicite collationis obligatione, saltem quando portio legitima heredibus necessariis salva manet. Cfr. n. 677. Sic implicite dispensaret a collatione qui daret magnam pecuniae summam, commendando ne umquam haec donatio